



# **Decretum universitatis Oxoniensis damnans propositiones neotericorum infra-scriptas, sive Jesuitarum, sive Puritanorum, sive aliorum cujuscunque generis scriptorum**

<https://hdl.handle.net/1874/18769>

*LB.*  
591

DECRETVM  
VNIVERSITATIS  
OXONIENSIS DAMNANS  
PROPOSITIONES NEOTERI-  
CORVM INFRA-SCRIPTAS,  
SIVE IESVITARVM, SIVE  
PVRITANORVM, SIVE  
aliorum cuiuscunq; gene-  
ris Scriptorum.


A C: O X:

O X O N I I ,

---

Excudebant IOHANNES LICH.  
FIELD, & IACOBVS  
SHORT. 1622.





**H**D HONOREM  
Sanctæ & individuæ Trini-  
tatis, & ad Catholicæ  
& Orthodoxæ doctrinæ  
veritatē in Ecclesiâ con-  
servandam, nec non ut Regia M A-  
IESTAS non ab hostium solūm,  
sed & errorum insidijs sarta tecta ma-  
neat : frequenti CONVOCATI-  
ONIS Senatu, die Martis, viz: vice-  
fimo quinto die mensis Iunij Anno  
Dom. 1622, habito, VICECAN-  
CELLARIVS Doctores, Procu-  
ratores, Magistri Regentes & non Re-  
gentes, more & loco consuetis convo-  
cati, unanimi consensu & assensu super  
quibusdam Propositionibus, sive Af-  
fertionibus, non solum Divino Ca-  
noni, Decretis Conciliorum, scriptis  
Patrum, & Primitivæ Ecclesiæ fidei &  
professioni, sed etiam Monarchico cul-  
mini subdolè ruinam minitantibus, de-  
creverunt in formulam subsequentem.

**E**PISCOPI & Pastores Magistra-  
tus suos, impios aut injustos, si con-  
tuma-

B tuma-

tumaces sint, possunt & debent de consensu Ecclesiæ Satanæ tradere, donec resipiscant.

## CENSURA.

**H**ÆC Propositio est erronea, impia, & sanæ Politiae subversiva.

## PROPOSIT.

**S**VBDITI, non privati, sed in Magistratu inferiori constituti, adversus superiorem Magistratum, se & Rempub. & Ecclesiam seu veram Religionem, etiam armis defendere jure possunt, his positis conditionibus.

**1<sup>a</sup>** CVM superior Magistratus degenerat in Tyrannum.

**2<sup>a</sup>** AVT ad manifestam Idolatriam atque blasphemias ipsos, vel subditos alios, vi vult cogere.

**3<sup>a</sup>** CVM ipsis atrox infertur injuria.

**4<sup>a</sup>** SI alitèr incolumes fortunis, vitâ, & conscientiâ esse, non possint.

**5<sup>a</sup>** SI

5<sup>a</sup> SI prætextu Religionis, aut Iustitiae, sua querant.

6<sup>a</sup> SERVATA semper ~~invenientia~~ & moderamine inculpatæ tutelæ , juxta leges.

**H**ÆC Propositio est falsa , sed CENSURA.  
tiosa , & callidè restringitur ad  
conditiones annexas , sub quibus , latente Serpentinô dolò , quilibet seditiosus facile se expedire potest.

**S**VBDITIS merè privatis , *sine PROPOSIT.* 3<sup>a</sup>  
legitima vocatione neque ad invadendum Tyrannos ante periculum  
neque ad defendendum se contra eos in periculo , neque ad vindicandum se post periculum , arma capessere licet,  
*si ab ordinaria potestate defendi possint.*

**H**ÆC Propositio supponit falsa , & est insidiosa , & seditiosa. CENSURA.

**S**VBDITIS merè privatis , *si PROPOSIT.* 4<sup>a</sup>  
Tyrannus tanquam latro aut stuprator in ipsos faciat impetum , & ipsi nec potestatem ordinariam imployare ,

rare , nec aliâ ratione effugere periculum possint , in præsenti periculoſe & ſuos contra Tyrannum , ſicut contrâ privatum grassatorem , defendere licet.

CENSURA.

**H**ÆC Propoſitio eſt falſa , periculosa , impia.

**H**AS & ſimiles Propositiones , à quocunque scriptore defenduntur , ut falſas , impias , & ſeditioſas , condennat V N I V E R S I T A S O X O N I E N S I S : nec non docet ac defendit ſecundum Canonem ſacrarum Scripturarum , ſubditos nullo modo vi & armis Regi vel Principi ſuo rerefere debere , nec illis , arma vel offenſiva , vel defenſiva in cauſâ Religio- niis vel aliâ in re quaconque contrâ R E G E M , vel Principem ſuum , capere licere .

**D**EINDE celebris Coetus C O N V O C A T I O N I S Docto- rum , Magistrorum , Regentium & non Regentium unanimi conſensu decrevit , ut ſinguli Doctores & Magi- ſtri Vniverſitatis Oxoniensis , unâ cum Baccalaureis in Iurisprudentiâ & Medi- ciñâ ,

cinà , subscriberent censuris & Decretis  
prædictis.

**E**T ulterius celebris ille sœtus  
CONVOCATIONIS Do-  
ctorum, Magistrorum Regentium  
& non Regentium, decrevit, quod sin-  
guli ad Gradus in quacunque Facultate  
promovendi , ante admissionem primò  
subscribant veritati harum censurarum:  
deinde eodem tempore suscipiant ju-  
ramentum corporale , se non solum  
propositionis prædictas ex animo con-  
demnare & detestari, sed etiam condem-  
naturos & detestaturos in perpetuum.

Forma juramenti sequitur  
in hæc verba;

**T**V jurabis , te ex animo & bonâ  
fide consentire Decreto CON-  
VOCATIONIS habitæ die  
Martis , viz : vicesimo quinto die Iunij  
Anno Dom. 1622. super quibusdam  
Propositionibus falsis , seditiosis , im-  
pijs , & ibidem damnatis : Et quòd nul-  
lam prædictarum conclusionum , ea-  
rūmque sententiam docebis , defendes,  
vel tenebis publicè aut occultè ; ne-  
que aliquem hujusmodi doctorem vel  
defensorem op̄e , consiliō vel favore  
juvabis , sed quantum in te est impedes,

B iiij ita

ita te Deus adjuvet, tactis Sacrosanctis  
Dei Evangelij.

**L**IBER Commentariorum DA-  
VIDIS PAREI in Episto-  
lam S. Pauli ad Romanos, in  
quo oinnes prædictæ, falsæ, impiæ, &  
seditiosæ propositiones ab ipso Pareo  
proponuntur & defendantur, die lovis  
~~ziz~~  
viz: sexto die mensis Iunij, Anno Dom.  
1622. in solenni Conventu omnium  
Doctorum, Præfectorum Collegiorum  
& Aularum, nec non Prælectorum pu-  
blicorum dictæ VNIVERSITA-  
TIS OXONIÆ, authoritate com-  
bustus fuit.

*FINIS.*